

cadavera sæpissimè eruta, exposcebant quasi, ut Romani in recuperandâ humatorum quiete, non minimum ponerent operæ. Honestatis itaq; & pietatis necessitate compulsi, defuncti ut cremarentur, speciali sanciverunt decretò. Unde primum Cornelium Syllam Dictatorem decedentem, ut corpus ejus cremaretur, supremâ cavisse voluntate testatur *Plinius l. 7. c. 54. & Alex. ab Alex. l. 3. Gen. dier. c. 2.* Cujus ultimo deinceps ex asse satisfactum desiderio, dum ipse in campo Martio exustus & sepultus est. *Forster. hist. Rom. l. 1. c. 26. n. 71.* Neque aliam, quâ commotum Syllam, annotant Historici rationem, quam quod ipse C. Marii, cui se vivus opposuit, corpus & ossa eruta, in aquam transferri curaverit. Veritus itaq; talionis legem, cadaver ejus potius cremari, quam parili affici voluit ludibrio. Ab hoc igitur tempore morem cremandi cadavera defunctorum penes Romanos inolevisse, haud improbabile est. Durante eâ usq; ad Antoninos Imperatores, quorum temporibus revocata censetur consuetudo, corpora humo condendi, antiqua. Thaleti uni ex Græciæ Sapientibus adscripta, qui doctrinam, omnia ex aquis constare, professus, ad promovendam cadaverum eò citius dissolutionem, terræ ea mandanda existimavit. Neq; tamen hodiernum illæ Paganismi tenebræ depulsæ penitus: Reliquias earum in provinciis præcipuè Orientalibus reperire habemus. Quibus Incolæ illarum pleriq; ita obcæcati, ut non modò demortuum hominem, sed, si fortalsè uxoratus exstiterit, ipsam insuper viduam cum cadavere mariti vivam cremare moris habeant. Oculare nobis adeoq; infallibile perhibet testimonium *Nobiliss. Dn. Job. Albert. à Mandelslo in Itiner. Orient. l. 1. c. 23.* quosdam in India Idolorum Cultores tam vanis superstitionum præstigiis fascinosos, ut non tam consuetudinis introductæ imperio, quam Religionis instigati fervore vitam viduæ defuncto marito superstiti, famâ intendenti servare illibatam condonari non posse existimarent, quasi unius morte alterius quoq; terminari vitam necesse sit. Quod si mortis fortè pertimescens cruciatum, cum mariti cadavere concremari noluerit, fama ejus valdè laborare incipit, atqve honesto-